ABC ABC

Noverint universi quod nos Beatrix dei gratia abbatissa monasterii sancti Danielis Gerunde, attendentes quod dictum monasterium habet sive prope civitatem Gerunde Iouera(m)(?)
vocatam de monte orbio cum suis terris honoribus et pertinenciis suis. Attendentes etiam quod consideratis sumptibus qui pro laboracione ipsarum terrarum et honorum et alia racione ipsius Iouere
fiunt necessario et fieri habent, melius utilius et fructuosius est ipsi monasterio, multiplici racione, dictam Iouera(m) cum suis terris honoribus et pertinenciis stabilire seu ad emphi-
teosim concedere sub certis censibus quam ad propria laboracione retinere vel etiam ipsam ad laborandum concedere, habitis super predictis et quolibet predictorum diligen-
ti et frequenti consilio deliberacione et tractatu cum conventu nostri monasterii propter ea more solito convocato et congregato. Ideirco ipsius monasterii utilitate attenta
de consensu voluntate et consilio dicti nostri conventus, et etiam de auctoritate et expresso assensu reverendi patris in Christo domini Gastonis miseracione divina episcopi
Gerunden., gratis et ex certa sciencia, per nos et successores nostras in dicto monasterio damus et concedimus ad emphiteosim sive ad acapitum Petro Vitalis cultori(?)
Gerunde et tuis imperpetuum quandam magnam feixiam terre, prout est signata, ex nostra condamina vocata de Puteo(?), et affrontatur ab oriente in carraria nova, a meridie
in torrente, ab occidente in carraria publica, a circio in feixia Guillelmi Ermerici. Predictam siquidem feixiam, prout superius terminatur et affrontatur, cum omnibus integri-
tatibus et proprietatibus suis, introitibus exitibus et pertinenciis suis sive universis et singulis, et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et decetero faciendis, vobis dicto Petro
Vitalis et tuis imperpetuum damus et concedimus ad emphiteosim sive ad acapitum, salvo tamen iure et directo dominio dicti monasterii tam in laudimiis foriscapiis empariis fa-
tiis quam eciam aliis que ad directum dominium pertinere noscuntur. Dabitis preterea vos et tui nobis et nostris successoribus in dicto monasterio annuatim censualiter in festo sanctorum
Petri et Felicis unam migeriam frumenti et tres medias quarterias frumenti boni pulcri sicci et mundi ad mensuram Gerunde, sed ipsas deffendentes in foro allatas tuis sumptibus
in dicto monasterio. Et sic sub dictis modis et condicionibus constituimus nos dictam feixiam terre nos tuo nomine possidere donec eiusdem rei possessionem tam de iu-
re quam de facto adeptus fueris corporalem, in quam intrandi adipiscendi et retinendi plenam vobis et tuis damus et conferimus potestatem, ad faciendum inde omnes tuas
voluntates, retentis tamen condicionibus predictis. Et sic per nos et nostros successores in dicto monasterio promittimus hanc concessionem et omnia et singula supradic-
ta rata et firma habere tenere et servare, et predictam feixiam cum suis iuribus vos et tuos semper facere habere tenere, et etiam deffendere in pace contra cunctas perso-
nas et inde vobis et tuis firmiter teneri de evictione et omni dampno et expresse litis et cetera. Et pro predictis attendendis et complendis obligamus vobis et tuis omnia
bona dicti monasterii ubique presencia et futura. Pro huiusmodi vero concessione habuimus et recepimus a vobis ad utilitatem dicti monasterii quinquaginta solidos barchinonenses. Re-
nunciando excepcioni pecunie non numerate et non recepte et doli. Et ego dictus Petrus Vitalis laudans et concedens omnia supradicta promitto vobis dicte domine abbatisse
et successoribus vestris in dicto monasterio dictum censum unius migerie et trium mediarum quartariarum frumenti annuatim solvere termino supradicto allatas ut est dictum. Et
pro predictis attendendis obligo vobis et vestris dictam feixiam terre cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et decetero faciendis. Quod fuit actum et tam a dicta
venerabili abbatissa quam dicto Petro firmatum et laudatum iiii kalendas octobris anno domini millesimo trecentesimo tricesimo tercio. Presentibus testibus venerabili Berenga-
rio de Lacu presbitero de capitulo, et Petro de Villarico(?) clerico et Arnaldo de Torrente Gerunde. Predicta vero omnia fuerunt per dictum conventum more solito congregatum in capitulo
dicti monasterii laudata concessa et aprobata, et etiam postea predicta omnia per dictum reverendum dominum episcopum Gerunden. laudata auctorizata et aprobata iiii idus octo-
bris anno domini predicto. Presentibus testibus venerabilibus Arnaldo de Palaciolo thesaurario et Berengario de Lacu presbitero de capitulo Gerunden. Et similiter Arnaldus de
Torrente baiulus dicti monasterii predicta firmavit quo baiulo(?) coram testibus supradictis.

Sig+num Petri Massaneti notarii publici substituti auctoritate regia a Bernardo de Corsano(?) notario Gerunde publico, qui hec scribi fecit et clausit cum supraposito in linea iiii ubi dicitur est.

Nº 37 – f. 80v

CTORS

[illegible] Comuna [illegible] — 28-9-1333

[illegible]

T. 370 X 360

Nº 651

[illegible] de una [illegible]
[illegible] part [illegible]
[illegible] de [illegible] e [illegible]
de Terra

AC f. 88r — Nº 5 del quart plec de Montiribi

680